



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

§. 1. Qui corpore peccant, meritò etiam corpore luunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

CAPVT LIV.

Alijs etiam profanorum hominum dictis, & exemplis, & quidem ob varia scelerum genera, demonstratur pœna talionis.

I.

Peraque, quæ modò attulimus, sacri scriptores de rebus sacris, tradiderunt, superest nunc, vt eandem talionis legem, etiam vel profanorum authorum testimonijs confirmemus; vel, si qui authores non erunt profani, saltem exemplis profanis, vt pateat hanc diuinam Nemesis vbiq̃ gubernantem nulli, aut nusquam non esse mentuendam, seu in oculis is degat, seu in templis. Regis Alfonso ea sententia fuit, vt qua quisque re peccaret, eadem etiam plecteretur. Hinc cum equitem luxuriosum, & bonorum suorum decoctorem punire vellet, quibusdam ab eo enixè petentibus, ne in corpore lueret debita, quæ ille plurima per luxum libidinemque contraxerat, respondit: Equitem hunc neque sui regis gratia, neque patriæ commodo, neque propinquorum & amicorum, ære alieno suscepto, tam grande patrimonium profudisse; sed omnem suam substantiam corpori indulgisse. In corpore igitur luere æquius esse, vt pœna malefactoris ex æquo responderet. Eiusdem sententiæ sunt omnes qui, dum potestate pollent, peccantes per illa ipsa puniunt, per quæ delinquant. Sic in multis Religiosis Ordinibus, curiosi oculi ad tempus obligantur, ne circumspicere possint; garrulis & linguacibus silentium indicitur, vt os refrænetur; inquietis & gyronagis, limites ponuntur, quos non licet transilire. Prudentes quoque Confessarij, gulosis & ebriosis ieiunia, abstinentiam, temperantiam; luxuriosis & libidinosis cilicia, humicationes, flagella imperant. Quibus in rebus etsi contraria contrarijs curari videantur, tamen ea ipsa corporis membra castigantur, quæ sunt præuaricata. Cû non iustè sic iudicent homines? ita ipse quoque olim iudicabit Deus. Nulli enim in inferis locis sensus suo cruciatu carebunt, qui hic fuerunt instrumenta flagitiorum.

II.

Ita Reges, & Duces, & Indices iudicarunt: nec secus fecerunt subditi Iudicum, Ducum, Regum. Rufinus, apud Arcadium præfectus

Panormitan.
l. de reb ab
Alfonso rege
gestis.